

741-742 OPUSCULUM QUADRAGESIMUM SEPTIMUM. DE CASTITATE ET MEDIIS EAM TUENDI.

ARGUMENTUM.

Damiano nepoti inter caeteras virtutes castitatem praecipue commendat: quam ut facilius tueatur, quotidie ut Dominicum corpus percipiat suadet. Deinde contra insidias daemonis illum instruit. Postremo, ut se priori commendet, petit: quem de hospitalitate servanda admoneat.

DAMIANO charissimo filio PETRUS peccator monachus paternae dilectionis affectum.

Quia litterarum gerulus anxie parat exire, non possum, quae mittenda sunt, elimata styli digestionem conscribere; teque volo ut potius veri consideres sensum, quam aucuperis lenocinia phalerata verborum. Interim itaque, dum praesto rescribere nequeo, sufficiat hoc tibi simpliciter scribi, quod Timotheo velut aequaevo per epistolam Apostolus praecipit: «Dum venio, inquit, attende lectioni, exhortationi, atque doctrinae (**I Tim. IV**).» Cui nimirum jam et ista praemiserat: «Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (**Ibid.**).»

[DE CASTITATE ET MEDIIS EAM TUENDI.]

CAPUT PRIMUM. *Quod castitatis virtus junioribus difficilior sit.*

Et ut de caeteris virtutibus quae nunc per epistolam enumeratae sunt interim taceam, castitatem, quam ultimam posui, non in membris tantummodo studeas servare corporeis, sed haec eadem permaxime regnet ac vigeat in visceribus cordis. Nulla quippe virtus est quae in adolescentiae flore graviora certamina perferat, quam videlicet velut in camino surgentis incendii, titillantis illecebrae genuinus ardor impugnat. Sed cum super hoc themate nobis uberius disputare non liceat, quia prae nimia celeritate non vacat, quid mihi imperatrix, Agnes olim scilicet aureo quidem diademate coronata, nunc autem multo felicius et incomparabiliter eminentius in regis aeterni thalamo collocata, hesterno jam vespertini temporis elabente crepusculo, retulit, hic annotare succincte raptimque non pigeat; ut apud animum tuum, non tam laciniosa loquendi prolixitas quam insignis exempli dignitas convalescat. Porro dum praefata Christi sponsa, et B. Petri filia, in omnium dispositione virtutum delectabiliter pascitur, in tractanda tamen castitatis pudicitiaeque munditia propensius immoratur. Unde factum est ut, dum nonnulla de salute animarum mutuis confabularemur eloquiis, et praecipue quasi quosdam versarem in manibus vernantis flosculos castitatis, illa hoc in medium protulit: Postquam imperator, inquit, Otto regnum Italiae Berengario victor eripuit, captas illico duas ejus filias in Teutonicas partes exsilio transmigravit. Quae nimirum, dum venusti vultus specie et insigni corporum pulchritudine regum referrent generis dignitatem, coeperunt multi regni procures Adelaidi Augustae vehementer insistere,

ut tam elegantis formae decus dotali sibi mererentur copula sociare. Quae nimirum puellae dum omnes procos aequa prorsus dedignatione contemnerent, et mortale conjugium sanctae superbiae supercilio fastidirent, una illarum duos pulcinos suis uberibus supposuit, et tandiu inter vestem et carnem, donec omnino putrescerent, occultavit. Cumque conspiceret homines ad suum venire colloquium, laxabat occulte vestem, et naribus colloquentium gaudebat exhalare fetorem. Cumque colloquentes ei hanc quotidie narium paterentur injuriam, tandem cessavit delusa sollicitudo quaerentium, et virgo Christi, per simulatam carnis alienae putredinem, inviolabilem sui corporis servavit integritatem. Unde factum est ut utraeque postmodum sorores eligerent sanctimoniale propositum, et usque ad finem vitae monachicum servarent irreprehensibiliter institutum.

743 CAPUT II. *Quod frequens eucharistiae susceptio est praesidium castitatis.*

Quamobrem pudeat, vel, o fili, vitio libidinis enerviter, vel in cogitatione succumbere, de quo cernis infirmiores et fragiles sexum cum tanta gloria triumphare: et, ut frementem bestiam valeas, ut ita loquar, ex agro tui juris expellere, satage te, frater, jam quotidie Dominici corporis et sanguinis perceptione munire. Videat occultus hostis labia tua Christi rubore rubentia, quae territus perhorrescat, et mox in tenebrarum suarum latibula pavescendo diffugiat. Quod enim tu per visibilem panis ac vini speciem suscipis, ille, velit, nolit, Dominici corporis ac sanguinis intelligit veritatem.

Porro autem eadem mihi tunc venerabilis regina narravit quod nuper in Vormaciensi ecclesia, dum longiori per negligentiam tempore eucharistia reservata fuisset in buxide, sola postmodum illic caro fuerit reperta. Ita dum curiosius in eam multorum visus intenderet, nil aliud quam veram ac solidam carnem procul dubio judicaret.

Rainaldus etiam venerabilis Cumanae Ecclesiae pontifex dum adesset, quod sibi paulo ante contigerat, veridicus enarrator exposuit: Presbyter, inquit, in ecclesia cui, Deo auctore, deservio, hodieque nisi fallor advivit, qui tam parvam ac tenuem in litterarum habet doctrina notitiam, ut aperte quoque scriptionis articulum syllabatim vix valeat legere; nimia tamen paupertate constrictus, utcunque missarum cogitur solemnia celebrare. Hic aliquando dum sacri muneris eucharistiam detulisset aegroto, ut erat utique deses ac negligens, aliquantulum Dominici sanguinis remansit in calice. Quod cum ille in ecclesiam rediens comperisset, sed fastidio praepeditus nolisset accipere, mox calicem lavit, et in labrum marmoreum in quo erat aqua sanctificata, projecit. Et, o magnum divinae virtutis indicium! illam labri partem quam id quod effusum est de calice, contigit, in sanguineum ruborem repente convertit, ubi scilicet duae majores guttae sanguinis exprimuntur; sed neque illae, neque aliae quae juxta videntur esse minusculae, nullo possunt studio vel ablui vel abstergi, quo rubor impressi sanguinis aliquatenus valeat aboleri. Cum ergo purpureus ille cruor tam tenaciter haeserit in vase lapideo, quantum putamus jus sibi potestatis vindicat virtus illa coelestis in pectore Christiano? His itaque coelestibus sacramentis, fili charissime, te frequentius munire non differas, quibus videlicet diabolicae versutiae et subdolae

machinationis argumenta repellas. Praecinctus erigere, constanter atque robustus sta semper in acie, nec ignores indeficientem adversarium contra te infatigabiliter dimicare.

744 CAPUT III. *Diabolus transfigurat se in angelum lucis, ut monachum decipiat.*

Interea dum haec loquor, et illud nunc ad memoriam redit, quod Hildebrandus Romanae Ecclesiae archidiaconus, eisdem qui superius memorati sunt et episcopo praesentibus retulit: Duos, inquit, sanctos monachos vidi, et non mediocrem apud eos locum familiaritatis obtinui; qui nimirum singulis morabantur in cellulis, apud monasterium quod in loco constructum est qui dicitur Aquisgrani, quorum videlicet alter, qui majoris videbatur esse simplicitatis, Marinus; alter autem Romanus vocabatur proprio nomine. Sed Marinus vix ulla dies erat in qua diabolum vel per speciem aliquam non aspiceret, vel per somnium non audiret, adeo ut antiquus hostis sibi saepe compsalleret, simulque cum eo divinae laudis officia celebraret. Aliquando vero tenebrarum auctor se transfiguravit in angelum lucis, eique quasi legem dictando mandavit: Cave, inquit, quia qui angelum Dei et aspicere et alloqui meruisti, indignum est ut de caetero cum hominibus loquaris. Protinus ille, tanquam mandatum divinitus accepisset, a fratrum se funditus colloctione removit, seque sub rigida silentii censura constrinxit. Cui cum frater Romanus primo, deinde abbas monasterii, ut sibi loqueretur vehementer insisteret, et ille praedantis labiis (*suppl. responsum vel quid simile*) non mitteret; abbas, fores

cellulae violenter irrumpens, dignis indiscretum fratrem verberibus castigavit, et sic ad reddendum sermonis officium compulit. Cui mox admonendum subjunxit: Idcirco, inquit, antiquus adversarius, bonorum semper operum inimicus, silentium tibi tentavit imponere, ut et tu fructum fraternae aedificationis amitteres, et illi qui a te sublevandi erant tuae consolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater, quia non malitia, sed ex simplicitate peccaverat, ad mentem quantocius rediit, et, contempta suggestionem diaboli, admonitionibus pii patris humiliter acquievit.

Sed dum te, fili mi, ad evacuandas antiqui hostis insidias provoco, quid praefata regina retulerit audisse ex ore beati Leonis noni Romanae Ecclesiae pontificis, non omitto. Ait itaque praedictus papa: Amita mea, sanctimonialis effecta, in quodam virorum erat monasterio constituta; ibique in propria degens cellula cum quadam pygmaea, id est brevis staturae femina, quotidianae laudis officia patienter et humiliter persolvebat.

CAPUT IV. *Quod diabolus signo crucis cognoscitur.*

Quadam vero nocte cum ante nocturnae synaxis [articulum, *vel* horam *vel aliquid simile*] maturius surrexisset, comitemque suam more solito saepius inclamasset; illaque, gravi sopore depressa, nullatenus responderet, tandem in iram commota, quid diceret non attendit: Diabole, inquit, surge. **745** Ad quam vocem praesto diabolus, ejus quae

dormiebat effigiem repraesentans, accessit; et mutuos reddendo versiculos, psallere simul coepit; cumque ad illum psalterii locum modulatione continua pervenissent ubi dicitur: «Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant a facie ejus qui oderunt eum: sicut deficit fumus, deficiant (**Psal. LXVII**),» et reliqua: hic illico malignus spiritus substitit, et hos exprimere versiculos non praesumpsit. Hoc sancta mulier cum apud se miraretur, expavit; et, quod erat, non inaniter suspicans, signum sibi sanctae crucis imposuit, statimque malignus hostis evanuit; et quis esset qui sanctae mulieri psallendo comes exstiterat, se fraudulenter occultando monstravit. Huic etiam venerabili matronae nocturnis horis nequam spiritus cadaver cujusdam hominis, qui pro suis sceleribus appensus fuerat, attulit; et, ut illi terrorem incuteret, hujusmodi sibi, ut ita loquar, xenium procuravit. Quae mox abbati loci fratrumque conventui quid sibi nequissimus hostis fecisset innotuit; atque ut pro illo misero fratres omnes in commune preces effunderent, obnoxiiis [*f. obnixis*] precibus impetravit. Postmodum vero cuidam divinitus revelatum est, per orationes fratrum illum misericordiam consecutum. Sic itaque deceptus hostis antiquus, qui dum viventi machinatur illudere, jacturam cogitur de mortuo sustinere.

CAPUT V. *Christianae charitatis exemplum.*

Ad hoc igitur et hujusmodi diabolicae tentationis tibi proponuntur exempla, ut et ipse contra hostis callidi deceptoris insidias solerter evigiles: et, dum te delectat aliorum cum hoste luctantium audire victorias, ipse te per

languidi corporis ignaviam non remittas. Sed jam ista sufficient. Commenda me fratribus, domno priori ex nostra parte humiliter suggere ut a fervore solito pietatis et misericordiae non tepescat, sed susceptionibus hospitem et subsidiis egenorum, in quantum res domestica patitur, insistere non omittat. Sed et illi conveniens exemplum profero, quod huic rei, quam sibi suadere gestio, non mediocriter profuturum esse confido. Nam et eadem Agnes regina quae supra inquit etiam quia vir quidam in Alemanniae partibus avia saltuum, praerupta montium, opaca sylvarum venandi studio peragrabat. Hic itaque dum anxius huc illucque discurrit, et sollicitus curiositatis indagine ferarum lustra perquirat, invenit duas mulieres, matrem scilicet ac filiam, per illos hiemalium cumulos pruinarum et profunda nivium rudera miserabiliter oberrantes. Qui protinus misericordia ductus, comiti suo qui eum solum sequebatur, ait: Levemus in equis has feminas, singuli singulam, et ad hominum habitacula devehamus, quia vel oberrantium forte luporum sunt morsibus exponendae, vel vi nimii algoris sunt procul dubio moriturae. Quod comes penitus abnegat, et hanc se ferre posse stomachatur injuriam. Cui dominus: Ego, inquit, si tu fastidis, solus utramque levabo, et hanc quam dicis injuriam alacriter sustinebo. Cumque unam **746** post se, et alteram, in medio residens, poneret ante se: tandem socius mente compunctus atque confusus, domino suo cessit unam, et ipse ad subvehendum corripuit alteram. Sic igitur eas per difficillima loca et longos anfractus non sine gravi periculo detulerunt, donec scilicet molendinum casu obvium reperirent, ibique eas deponerent. Adjecit etiam dominus ut uni earum vestem traderet, qua vim frigoris aliquatenus temperaret. Hic aliquanto post tempore factus est monachus,

et deinceps, ingravescente molestia, ad extrema perductus est. Tunc fratribus, qui astabant, cum magna coepit animadversione clamare, dicens: Videtis innumerabilium daemonum turbam, quae me undique circumvallat, meque terribilibus oculis intueri et impugnare non cessat? Cumque continuis orationibus et psalmodiae fratres insisterent, ille tamen nihilominus tremefactus visceribus formidaret, tandem ille qui sibi, sicut dictum est in venatione comes exstiterat, assistens propius exclamavit: Nonne vides quod mulier illa quam tecum simul ad aquimolum devectavi, vestimentum illud quod sibi tunc dedi tenens in manibus, ventilat, et omnes in hac domo daemones violenter exturbat? Paulo post, ecce, Deo gratias, ejecti sunt, et a meis obtutibus, mulieris hujus impulsu, prorsus evanuerunt. Sic igitur ille sub bonae spei securitate defunctus est, et misericordiae fructus, quos vivus exhibuit, oblatos sibi, dum moreretur, invenit. Nam saepe contingit ut inter multas carnalium actionum tenebras unum boni operis lumen erumpat, quod hominem ad bonum finem portumque perducatur.

CAPUT VI. *Per unum opus bonum Dei pietas peccatores salvat.*

Unde non otiosum arbitror si et id quod Stephanus ejusdem reginae capellanus, vir videlicet honestus et prudens, enarravit, attexo. Ait enim quod Stedelandus imperator Galliciae retulit, quod tunc ad unius notitiam, alio postmodum referente, pervenit: Tres, inquit, meretrices erant, obscenis lupanarium foeditatibus deditae, et, ut ita loquar,

omni transeunti turpi lenocinio prostitutae, sed cum regio illa communi Saracenorum et Christianorum esset habitatione permixta, illae se Christianis quidem turpiter exponebant; Saracenorum vero consortia funditus abdicabant. Cumque se dolerent illi in hoc foedo negotio despici, suaeque genti conquererentur injuriam irrogari, tandem eas ad tribunal praesidis pertrahunt, et ut suis quoque, sicut Christianis, in luxuriae permixtione consentiant, vehementer insistunt. Sed dum scelus hoc apud eas, modo terrores, modo blanditias intentantes, aliquatenus obtinere non possent, prolata sententia praesidis, adjudicatae sunt morti. Quid plura? Protinus spiculatores accedunt, nudis cervicibus vibratos pugiones incutiunt; sed ne supremam quidem cutem incidere, cassatis ictibus, possunt. Interea dum et istae mori alacriter **747** volunt, et illi occidere nequeunt, carcerali custodiae mancipantur. Nocte vero uni earum, quae quasi superior erat caeteris, Salvator apparuit, eique dixit: Noli timere, hodie certamini vestro finem imponam, vosque cum corona martyrii in gloriae meae amoenitate suscipiam. Sequenti vero die ad tribunalia judicis deducuntur, inquisitione facta, eadem nihilominus sententia perseverat; idem est qui fuerat animus; et Agarenorum, sicut prius, per omnia detestantur amplexus. Protinus ergo carnifices, quoniam in cervicibus earum nil se posse probaverant, earum guttur gladio defaecant [desecant], **748** et sic de meretricibus martyres efficiunt. Sed quoniam longius quam incipiendo decreverat, jam stylus iste perducitur, cohibendus est calamus, et epistolaris compendii ponendus est modus. Tandem divinae pietatis imploro clementiam, ut inter caetera virtutum et totius sanctae religionis insignia, inviolabile tibi servandae pudicitiae robur infundat, et vasculum tui corporis

in sanctificatione et honore custodiat; quatenus is qui dicit in Canticis: «Ego flos campi, ego lilium convallium (**Cant. II**);» sicut pro te dignatus est fieri filius Virginis, sic etiam vernare te faciat floribus castitatis.

Sit nomen Domini benedictum.